



00

9949

Qu





521.

47.

2. D. B. V.

DISPUTATIO INAUGURALIS MEDICA,  
DE  
HAEMOPTYSI,

QVAM  
AUTHORITATE ET CONSENSU  
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS, IN ILLUSTRIS  
AD ALBIM ACADEMIA,  
PRÆSIDE

*RECTORE MAGNIFICO,  
VIRO NOBILISSIMO, AMPLISSIMO, EXCELLENTISSIMO,  
EXPERIENTISSIMO,*

DN. PAULO GOTTFRIEDO  
SPERLING,

MED. DOCT. ET PROF. PUBL. LONGE CELEBER-  
RIMO, FACULTATIS MED. h. t. DECANO MAXIME  
SPECTABILI,

*DN. PATRONO AC PRÆCEPTORE SUO  
ÆTERNUM COLENDO,*

PRO LICENTIA

SUMMOS IN MEDICINA HONORES ET PRIVILEGIA  
DOCTORALIA RITE IMPETRANDI,  
PUBLICE EXAMINANDAM PROPONIT

JO. LUDOV. GREGOR. LEBRUN,  
NORICO - VVEISSENBURG.

*AD D. APRIL. A. c1o 1oc XCIIX.*

IN AUDITORIO MAJORI,  
*HORIS ANTE ET POST MERIDIEM CONSVETIS.*

---

VITEMBERGAE, Typis CHRISTIANI KREUSIGII, Acad. Typ.



DISERTATIO IN AFRICANIS MENTIS

DE

THEATRO AFRICANO

AVTHORE PAVLO GOTTFRIEDO

PHYSICO-MATHESICO DOCTORE

PAULO GOTTFRIEDO

PHYSICO-MATHESICO DOCTORE

PHYSICO-MATHESICO DOCTORE

PHYSICO-MATHESICO DOCTORE

PHYSICO-MATHESICO DOCTORE

PHYSICO-MATHESICO DOCTORE







**N**ulla fere pars corporis humani proclivior  
 est ad noxas & offensas, quam pulmones;  
 neque ullius fere visceris morbus est, qui  
 cum vitiis pulmonum, aut magnitudine,  
 aut omnis generis symptomatum copia & varietate,  
 contendat; neque ex omni morborum, pulmones af-  
 fligentium, numero quisquam fere est, quem merito  
 quis Hæmoptysi anteponat. Nam si illorum visce-  
 rum, quæ ad degendam vitam apprime faciunt, noxæ  
 maxime periculosæ censentur, propterea quod oeco-  
 nomiam corporis graviter labefaciant ac prosternant;  
 dubitari profecto non potest, quin illud sanguinis spu-  
 tum, quod Græcis *αἱμοπτόν, καὶ αἱμόπλισις* appella-  
 tur, malum sit gravissimum, quod non solum totum  
 corpus sanguine vitali privet & enervet, sed etiam pul-  
 mones insidiis appetat, & inquinat, ac, nisi in tempo-  
 re opem feras, pessimis longisque morbis originem  
 præbeat, vel etiam nimia sanguinis rejectione viscus  
 illud spiritale opprimat, mortemque repentinam in-  
 ferat. De hujus igitur affectus, non minus frequentis,  
 quam periculosi, natura, & causis, eum patientibus,  
 atque curatione, pro virili exponere decrevi, non ut  
 cuncta quidem, quæ in hoc gravissimo morbo occur-  
 runt,



runt, sigillatim percenseam, sed ex illorum innumera-  
bili copia & varietate pauca quædam seligam, de qui-  
bus loco DISSERTATIONIS INAUGURALIS,  
favente Summo Numine, commemorem atque ex-  
ponam.

CAP. I.

DE

DEFINITIONE ET SUB-  
JECTO.

**U**T, omissa omni verborum ambage & enodatio-  
ne, ipsius rationem instituti habeamus, describi-  
mus Hæmoptoen, quod sit eruptio, sive rejectio san-  
guinis e pulmonibus, per os, cum tussi & spuma, a va-  
porum pnevmonicorum apertione præternaturali.  
Esse vero affectos hoc in morbo pulmones, ipsi testan-  
tur ægrotantes, qui multa plerumque cum tussi san-  
guinem, eumque floridum & spumescentem ore red-  
dunt, tantaque interdum copia, quasi vomitu quo-  
dam, prorumpentem rejiciunt, ut etiam pelves imple-  
visse visus sit, & vix ullis remediis sisti & cohiberi pos-  
sit. Ita apud *Schenckium cent. III. obs. 68.* relatum  
legimus, virum quendam, ad septuagesimum ferme  
annum accedentem, in hoc malum incidisse, ac libras  
san-



525.  
sanguinis floridi, spumosiqve, supra decem exspuisse. Hujus autem rejecti sanguinis indoles & natura non una semper eademqve esse solet. Interdum enim insipidus fere est, ac nullo manifesto præditus sapore; sæpe vero acrimoniam, & modo acidam, modo salsam, conjunctam habet. Plerumqve spumans, tenuis, ac floridus, per tussim, nullo fere negotio, & sine omni molestia ac dolore ejicitur: interdum vero quoque crassus, & aliis humoribus, puri, vel pituitæ permixtus, minusqve spumosus apparet, & cum leni dolore, aut titillatione in pectore redditur. Sæpius etiam sensum aliquem gravitatis & anxietatem in pectore sentiunt ægroti, ac de anxietate & stertore conqveruntur, antequam sputum sequatur cruentum.

Nam prout maior vel minor aeris copia se sanguini in pulmonibus miscet & ingerit, is in majorem vel minorem bullularum & vesicularum copiam, sive spumam, attollitur: Et, prout sanguinis acrimonia, vel visciditas, est gravior, hoc quoque maior vis infertur nerveis pulmonum fibris, indeqve varius, vel nullus, excitatur dolor. Prout vero major vel minor sanguinis copia in pulmones irruit, vasorumqve apertionem molitur, major quoque, vel minor angustia & oppressio atqve anxietas in pectore sentitur. Contingit etiam quandoque, ut sectis, vel erosis vasis sanguineis, vel pulmonibus, horum quædam particule una cum sanguine excernantur. Sic enim *Dodonæus obs. 24.*



commemorat, a pictore quodam, cum valida tussi, san-  
 gvinem nigrum, spumofum tamen, rejectum esse, in  
 quo reperta fuit pulmonis pars nigricans, & sphacelo  
 correpta, in qua magnus & profundus sinus apparuit.  
 Vasa vero sangvinea etiam rejecta cum sanguine fu-  
 isse, duobus confirmat exemplis *Tulpius L. II. obs. 12.*  
 in quorum uno ingentem venæ arteriosæ surculum,  
 adæquantem longitudine sua digitum auricularem;  
 in altero vero prius sanguinem, & cum eodem duos  
 insignes venarum ramos, adæquantes expansæ ma-  
 nus magnitudinem, rejectos annotavit. Hanc autem  
 sanguinis exspuitionem facile intelliget, quicumque  
 expendit, pulmonum compagem totam membra-  
 naceam & cellulofam esse, atque ex innumerabili va-  
 forum, ultro citroque implexorum, copia, contextam.  
 Proinde non immerito viscus hoc spongiosum *Mal-  
 pighius Ep. 1. de pulmonibus* nominat, aggregatum  
 quid ex levisimis & tenuissimis membranis, quæ  
 extensæ & sinuatae pene infinitas vesiculas orbicula-  
 res efformant, quarum acervi lobuli a recentioribus  
 vocantur. Inter hos eleganter *Willisus Pharm.  
 Ration. Part. II. Sect. 1.* pulmonis telam ex vasis  
 & vesiculis contexi, & juxta illorum ramificationes  
 majores & minores in lobos & lobulos divisam, mem-  
 brana, quasi communi integumento, investiri, sta-  
 tuit. Huius autem membranae binas esse tunicas  
 porro scite exponit, unam nimirum exteriorem &  
tenuem



527.  
tenuem, quæ etiam *Raymundo Viussens in Neu-*  
*rograph. univers. L. III. cap. 4.* filamentorum ner-  
veorum textura quædam subtilis videtur; alteram in-  
teriolem, quæ & aspera, & crassa nonnihil deprehen-  
ditur, ac vasorum & vesicularum extremitatibus fere  
meris constat, & propter foveas ab his passim factas,  
interiore sua superficie favos quasi apum repræsentat.  
Præterea pulmones hoc modo contexti, in cavo tho-  
racis siti sunt, unaque cum corde cavum ejus implent,  
superiusque faucibus & collo per asperam arteriam,  
hujusque caput, laryngem; vertebris autem & sterno  
per mediastinum conjuncti, ac sæpe cum pleura per  
quosdam fibrosos nexus devincti, in duosque direm-  
tos majores, variis vasis, aliis aeris, aliis spirituum a-  
nimalium, aliis sanguinis lymphæque cursui servienti-  
bus, abundant. Inter ea vero hæc tria potissimum  
hic loci attendenda veniunt, vena nimirum arteriosa,  
vel arteria pulmonalis, ex dextro cordis thalamo ori-  
unda, & arteria venosa, sive vena pulmonalis, quæ in  
auriculam cordis sinistram desinit. Hæc vasa elegan-  
ti reptatu, una cum vasis aereis, sive ramis asperæ arte-  
riæ, quos bronchias pulmonum appellant, iter faciunt,  
ita quidem, ut bronchiæ ipsas tandem in vesiculas  
pulmonum expandantur, confluentes autem arteria-  
rum venarumque extremitates in modum retis com-  
misceantur, ac per totam pulmonum vesiculosam sub-  
stantiam discurrant. Quæ quidem vasorum conjun-  
ctio



ctio & necessitudo ad usum totius corporis, eumque in finem a sagaci ac solerti natura facta videtur, ut ex aliis in alia aditus pateat, ut quædam aeris portio, ad instaurandum intestinum humorum motum necessaria, sanguinem in pulmonibus subire, hicque per eos ex dextro cordis ventriculo, ad sinistrum deferri possit. Præter hæc vero vasa communia, arteria quoque pulmoni propria est, bronchialis *Ruysschii* ab inventore dicta, quæ a parte postica aortae descendens, supra basin cordis oriunda, dextrorsumque reflexa, tracheam amplectitur. eiusque ramos, sive bronchia pulmonum, transmisit quibusdam furculis œsophago, ad finem usque concomitatur, cui sociam quoque venam *Sanchetius* Venetus, invenit. Quare cum substantia pulmonum non subtilis tantum & mollis, totaque vesicularis, sed etiam vasis instructa sit innumerabilibus, minus profecto debemus mirari, si sanguis vel redundans in corpore, vel impetuosior & incitator, vel acrior, & particulis salinis ac erodentibus imprægnatus, facile horum compagem disjiciat, ruptisque, vel erosis vasis effusus, tussi deinde reddatur.

## CAP. II.

DE

## CAUSIS.

**C**AUSAM vero Hæmoptoes proximam vasorum sanguiferorum in pulmonibus apertionem præternaturali-



ternaturalem constituimus, quæ quidem non uno modo, atque a variis causis inferitur. Primo enim vasa hæc aperiuntur per *διάρρηξιν*, quando ab instrumentis acutis, cæsim vel punctim in corpus dejectis, discinduntur hi ductus, sanguisque adeo, patefacto exitu, effunditur. Vel etiam vasa ab acrimonia humorum exesa, per *διάσπασιν* aperiuntur; aut a copia æstuque humorum, a casu, plagis, commotione corporis & animi vehementiore, vociferatione, vocisque contentione in cantu, itemque vomitione, aut alia vi contundente, subitoque hæc, quæ diximus, vasa divellente, per *ρήξιν* disrumpuntur. Ad hos tres modos quidam etiam quartum adjungunt, nempe *ἀνασόμωσιν*, sive nimiam vasorum lævium in aspera spectantium dilationem; quæ tamen plerisque hodie suspecta merito habetur, quum vasa pulmonum sanguinea conjuncta omnino atque continua videantur, nullisque ejusmodi osculis, ex arteriis pulmonum, in bronchia venasque spectantibus, gaudeant.

Ab his igitur tribus modis, omnem ex pulmonibus rejectionem sanguinis, sputumque adeo cruentum proficisci, summa inter se voluntate intelligentes consentiunt, quæ quidem in præsentia, cum brevitati studeamus, latius exponere & enarrare, nostra non refert. Illud vero, quæ via sanguis ex apertis & patefactis vasibus pnevmonicis in asperam perveniat arteriam, ut tussi rejici queat, non æque constat & manifestum est. Vi-

B

detur



detur autem vero simillimum, sæpe sanguinem ex vas-  
 sis suis ipsa in bronchia pulmonum immediate ejici,  
 aliquando vero effusum in cavitate pectoris per po-  
 ros vesicularum pulmonalium in, prædicta, bronchia  
 demitti. Siquidem exterior pulmonum membrana,  
 ejusmodi poris & meatibus instructa videtur, qui hu-  
 mores tenues, in cavitate thoracis contentos, absorbere  
 valeant, unde deinde, facta progressionem humorum, in  
 bronchia, & truncum eorum, asperam arteriam, de-  
 ferri facile, atque per tussim reddi possunt. Unde qui-  
 dem interdum sanguis primo tempore parcissimus re-  
 jici solet, quando vas ruptum, vel erosum, idque satis  
 angustum, parvam sanguinis copiam suppeditat.  
 Quum vero plures ejusmodi ductus, sanguinem ve-  
 hentes, patefiunt, & quæ data via, liquor ille purpureus,  
 magno facto agmine, erumpit, tunc quoque contin-  
 git, ut a pluribus etiam bronchiorum orificiis haustus  
 sanguis, & in tracheam copiosius missus, majori copia,  
 & nonnunquam ad libras aliquot, per os excernatur &  
 effundatur. Id quod quidem per tussim fieri solet,  
 quia sanguis intrans bronchia, nerveas horum, pulmo-  
 numque partes vellicat ac stimulat, easque ad contra-  
 ctionem expulsionemque contentorum concitat.  
 Quæ quidem causa est, quæ propter hæmoptysis ab a-  
 crimonia humorum, atque erosionem vasorum pulmo-  
 nalium orta, graviosem semper tussim comitem ha-  
 beat, cum contra in illa hæmoptoe, quæ a ruptione va-  
 forum



rum proficiscitur, tussis non ita affligere soleat, & interdum vix advertatur.

Causæ remotæ, ad apertionem vasorum pnevmonicorum & generationem hæmoptoes facientes, duum esse generum solent, vel externæ, vel internæ. Primo autem loco ipse accusandus erit sanguis, qui vel redundans in vasis, vel qvalitate, aut motu peccans, hujus mali autor haud raro existit. Cum enim sanguis in corpore redundat, vel in orgasticum cietur motum, uberius impetuosiusque in pulmones irruit, viamque sibi & exitum, disruptis tenerioribus vasis, parit. Cum vero acrimonia & tenuitate peccat, suorum vi aculeorum vasa corrodit facile & dividit. Itidem si crassior fuerit sanguis, atque ad grumescentiam pronus, & difficulter per vasa pulmonum traducatur, ea, plus æquo, distendendo rumpit tandem, extraque vergit, quod sæpe scorbuticis & hypochondriacis accidere experimur.

Inter ceteras vero causas aer, quem respiratione dudimus, quiqve corporis oeconomiam, pro varia, qua gaudet, natura afficit & turbat, primum merito locum tenet. Si enim frigidior est, sanguinem condensat, constipatisque vasorum meatibus, motum sanguinis, ex dextro cordis ventriculo ad sinistrum, turbat & impedit, atque adeo disruptionem vasorum adjuvat. Nec minores dat turbas aer calidior, qui sanguinem, plus æquo rarefaciendo laxandoque poros vasorum, facit, ut

B 2

ille





ille motu liberiori & vehementiori agitatus, impetuosius ad pulmones ruat, horumque vasa dilatando & disrumpendo effundatur. Huc referamus quoque licet moram diuturniorem sub sole, ac balneorum frequentiore & immodicum usum, a quo inductam fuisse hæmoptosin, præter quotidianam experientiam, lectio *Ant. ab Altomari* nos docet *art. med. p. 342.*

Nascitur quoque non raro sputum cruentum a vitæ copiosiore, cibisque præsertim acidis, acris, & aromaticis, & potu generosiore, vino, spiritu vini & aquis spirituosis, quæ quippe omnia commotionem, acrimoniam, æstumque humorum nimium, & vasorum, cum ceterorum, tum pulmonalium repletionem, distentionem, erosionemque aut ruptionem, ac sanguinis demum extravasationem pariunt & inducunt. Quorsum etiam venena, & medicamenta calidiora & acriora, sanguinem intus agitantia pertinent, cujus rei testis locuples est *Guarinonius cons. 210.* qui quendam cum niteretur sub plurimo vestimento sudores movere, haustis guajaci potionibus, sanguinem fundentibus, in hæmoptysin incidisse commemorat.

Effectrices quoque hujus mali esse solent vigiliæ & somnus, dum nempe modum excedunt, adeoque sanguinis turbationem adjuvant; Quod inter alios testatur *Bened. Sylvaticus cons. 34. cent. II.* ubi æger, inquit, nunquam exspuit sanguinem alio tempore, nisi statim a somno, cum diurno, tum nocturno. Non parum  
quo-



quoque ad hujus mali productionem facit motus im-  
 moderatior, qui sapissime hæmoptoen procreat & in-  
 ducit. Dum enim motu validiore, saltu, lucta, cursu,  
 equitatione, multo risu, clamore, tussi & vomitione  
 vehementiore, laboribus, cantu, diuque intenta voce,  
 corpus cietur & concutitur, necesse est, ut non minus  
 pulmonum & diaphragmatis, quam sanguinis motus  
 fiat incitator, majorique nisu per pulmones ruat, eo-  
 rumque vasa distendat ac disjiciat. Adhæc quoque  
 sese aggregat nimius veneris usus, a quo excitatam fuis-  
 se hæmoptysin, commemorat *Platerus 3. obs. fol.*  
*728.* Quotiescunque, inquit, maritus cum uxore  
 rem habebat, semper uxor patiebatur hæmoptoen,  
 quiescente vero ab illo actu, minime superveniebat spu-  
 tum quod etiam Dn. Pr. observavit in foemina phthi-  
 sica. Concurrunt etiam ad productionem sputi cruen-  
 ti animi pathemata, de qua re audiendus est *Schen-*  
*ckius L. II. fol. 260.* qui commemorat de quodam,  
 magno mœrore, propter interemtum fratrem, ita per-  
 cussio, ut sputum rejiceret, mero dilutum sanguine.  
 Inprimis vero ira, terror, aliæque animi affectiones subi-  
 tæ, ad excitandam hæmoptysin magnum pondus ha-  
 bent.

Agmen harum causarum claudunt excreta & re-  
 tenta. Ad excreta quod attinet, illa rarissime sunt ac-  
 cusanda, plus vero damni retenta inferunt. Ita a men-  
 sium retentione & suppressione hæmorrhoidum hæ-

B 3 mopy-





moptysin oriri, toto die observamus, docetque *Sal-*  
*muth Cent. II. obs. 13.* Nam sanguis dum per loca  
 consveta, stato tempore, ex cerni non potest, alias quæ-  
 rit vias, & collectis a copia motuque viribus, per vi-  
 scera, debiliori compage prædita, imprimisque per  
 pulmones, exilissimis vesiculis, tenuibusque admo-  
 dum vasis, sicut supra ostendimus, contextos, erum-  
 pit & effluit. His demum ultimo adjungenda vulne-  
 ra, pulmonibus inflicta, casus, plagæ, & similes pecto-  
 ris, pulmonumque confusiones & compressiones, qui-  
 bus hæmoptoen induci, præter *Forestum L. XVI. obs.*  
*15. & Gabelchoverum cent. IV. p. 41.* experientia  
 quotidiana loquitur. Hæc enim, & quæ sunt ejus ge-  
 neris causæ aliæ externæ & violentæ, omnia eo spectant,  
 ut vel sanguinem in itinere suo turbent, & vehementius  
 commoveant, vel totum corpus plus justo succutiant,  
 vasaque pulmonum capillaria comprimendo, circu-  
 lum sanguinis impediunt, vel eadem penitus discindant  
 & disrumpant, sanguinisque adeo extravasationem &  
 expuitionem adjuvent atque accelerent.

### CAP. III.

DE

### DIFFERENTIIS.

**U**T longiores simus in constituenda hæmoptoes  
 differentia, non est, propterea quod facile hæc di-  
 gnosci



gnosci discernique potest, dum alia vehementior est, alia levior, alia incerto, alia stato tempore, certisque mensibus & diebus redit. Ita anniversariam hæmoptysin legamus licet apud *Rhodium Cent. II. obs. 34. Benedictus vero Sylvaticus Cent. II. cons. 36.* refert, quod sputum sanguinis, statuto quodam tempore, viro cuidam recurreret, pauca tamen copia, & brevi tempore durans. Vere tamen potissimum sputum cruentum affligere observavit *Forestus L. XVI. obs. II. § 22.* Quamquam nullum certum statumque huius exspuitionis tempus constitui potest, quando per intervalla plerumque incerta accedit, receditque, nec æque diu semper affligit. Præterea alii aliis ad hunc morbum magis proclives sunt & dispositi, imprimisque illi, qui sanguinem habent mobiliorem & acriorem, quibusque vasa pulmonum teneriora atque angustiora sunt. Ita quoque facilius adolescentes & juvenes, quam senes, in sputum cruentum incurrunt, meritoque divinus senex hoc malum inter morbos adolescentum recensuit *Sect. III. aph. 29.* Denique alia hæmoptoe vera est, de qua in præsentia agimus, quando sanguis ex pulmonibus in os derivatus, excernitur; alia notha, sive spuria, quum ex faucibus & gurgulione tantum exspuitur. Nam qui ex faucibus & columella sanguis fertur, ille sreatu rejicitur; qui vero ex ipso ore, simplici spuatione; qui ex ventriculo, vomitione; qui ex gutture, sreatu & tusficula; qui ab aspera arteria,



teria, leviori tusſi, fortioriſque ſcreatus niſu pellitur, ſpumatque interdum, & cum dolore, ſed levi emit- titur. Quo vero ex pulmonibus effunditur, ſemper ſpuma eſt præditus, & ſicut multa tusſi, ita nullo fere dolere, ſæpe autem cum titillatione quædam & anxietate pectoris excernitur, ſciteque *Hippocrates ſect. V. aph. 13.* dixit: Quicunqve ſpumantem ſan- gvinem extuſiunt, eis ex pulmonibus educitur.

## CAP. IV.

### DE SIGNIS.

**H**ic morbus quandoque ſubito, & nullo præmiſ- ſo indice ingruit, interdum vero infauſtos veluti quosdam præcurſores eius adventum annunciantes, habet. Quo in numero habendi ſunt dolores pecto- ris, nunc benigniores, nunc gravioreſ, & modo u- trumque latus, modo dextrum vel ſiniſtrum ſolum, affligentes, quos plerumque tuſſicula inanis, & ſen- ſus quidem gravitatis, anguſtiæ & anxietatis, ac non- nunquam ſtertor & titillatio quædam comitatur vel ſequitur. Quod inter alios laudatus ſæpe *Salmuth Cent. III. obſ. 43.* confirmat: Hæmoptoicus qui- dam, inqviens, quotieſcunqve renaſcebatur & redi- bat malum, triduo ante titillationem quandam per- ſentit, a fovea cordis incipientem, & ſuſum ad epi- glotti-



glottida pergentem. Praesentiam autem mali, sanguis spumans, multa plerumque tussi, nullo, vel levi cum dolore coniuncta, ore redditus, declarat, qui modo parcius, modo copiosior, modo purus, modo aliis humoribus inquinatus, & vel acidus, vel acer, vel salsus, vel insipidus, & crassus interdum esse consuevit. Istud vero praetereundum non est, quod illi, qui semel hoc tentati morbo fuere, nunquam tuti ab illo vivant, sed semper istis insidietur, ac nihil mali metuentes invadat, & praeter opinionem interdum opprimat.

Diagnosin excipit Prognosis, quam paucis quoque tradamus necesse est. Merito autem hoc sputum cruentum, magnis periculis expositum esse censendum est, propterea quod non solum totum enervet corpus, viresque frangat, ac nobilissimum corrumpat viscus, sed etiam gravissimorum morborum, nullis saepe remediis amplius sanabilem, fax & tuba esse soleat. Dictumque omnino recte ab *Hippocrate, Sect. IV. aph. 25.* sanguinem superne efferri, qualiscunque sit, malum. Nam licet experientia testetur, quandoque hanc sanguinis exspuitionem criticam aut salutarem fuisse, illosque saepius infestare, qui suppressione haemorrhoidum & mensium laborant, ita ut stato tempore ore sanguinem, sine incommodo, reddiderint, quod in sexu seqviori saepe Dn. Pr. notavit; tamen gravissima saepius pericula, interitum acclerantia, haemaptoe affert, ut nimia humorum profusione aegri vel exani-

C mentur,



mentur, vel, retento sanguine, pulmones opprimantur, inspiratioque cohibeatur, inductaque suffocatione, vel syncope, ægrotantes subito extinguantur. Ita quoque cum sanguis effluerit plurimus, singultus. aut convulsio superveniens, malum secundum *Hippocratem sect. V. aph. 3.* Præterea quoque gravius decumbunt graciles & teneræ constitutionis, quam robusti & qui firmis sunt lateribus, faciliusque in hæmoptysin incurrunt, si præsertim morbus fuerit hæreditarius. Constat enim ut plurimum illos esse pectore angusto & depresso, pulmone debili, & quos tussis plerumque affligit, sanguine tenui & acri præditos. Periculosius etiam ægrotant, qui antea peripneumonia, vel alio thoracis morbo, impliciti fuerunt, si præsertim obstructione, vel alio conformationis vitio pulmone divexetur. Hi enim plerumque in ulcus pulmonum & tabem incidunt insanabilem, ac tandem omnibus exhaustis succis vitalibus, emaciati pereunt. Quod rectissime *Hippocrates, Sect. VII. aph. 15.* animadvertit: A sanguinis sputo, puris sputum malum. Et *aph. 16.* A puris sputo, tabes, & fluxus. Postquam vero sputum retinetur, moriuntur.

CAP. V.  
DE  
CURATIONE.

○ Mne itaque curationis momentum, in eo potissimum.



tissimum positum est, ut sanguinis fluxus sistatur, & prout ille a natura et indole sua naturali descivit, corrigatur, vasaque aperta, & rupta, vel erosa, aut discissa, compingantur & consolidentur. Hoc efficiunt, cum operationes quaedam chirurgicae, cum diæta conveniente, tum remedia ex pharmacia desumpta, quæ si ullo in morbo, certe in hoc, mature sunt in auxilium vocanda, & pro ingenio morbi quotidie, vel singulis horis, expensis tamen probe causarum rationibus, repetenda.

Quare si copia & abundantia sanguinis, vel ejus motus impetuosior negotium facessat, facta vel in pede, vel in brachio venæ incisione, is diminuatur & cohibeatur, ac compescatur; idque si una vice commode fieri non potest, repetatur venæ sectio, tam diu, quoad satis videbitur, ac quantum vires ferent. Sin vero jam, profusione sanguinis magna facta, æger debilis & succorum vitalium inops sit, & malum potius ab acrimonia humorum & vasorum erosione ortum ducat, nihil evacuandum est, sed opera in corrigenda massa sanguinea, consolidandisque vasis ponenda. Ac primo quidem statim tempore, cum ante, tum post sanguinis missionem, aut quoque ea, si minus indicetur, penitus ommissa, remedia, commotionem & acrimoniam humorum temperantia, ac vasa rupta, vel discissa, aut erosa consolidantia, ita sunt adhibenda, ut cum sanguinis sputum diminuere conamur, grumos quoque sanguinis





nis, si qui adsunt, resolvamus ac dividamus. Non enim statim remedia, valida adstringendi vi donata, in auxilium sunt vocanda, ne sanguinis motum intempestive compescamus, gravioraque arcessamus mala, unde suffocatio atque exulceratio pulmonum facile induci potest. Quod confirmat *Montanus*, apud *Schenckium L. XI. obs. 3.* in puero, cui statim remedia adstringentia propinabantur, retento in pulmone sanguine, atque in putrilaginem abeunte. Quod ubi intellexit *Montanus*, neglectis & rejectis adstringentibus, dissolventia & discutientia adhibuit, divisoque & de novo impulso sanguine stagnante, puerum a tabe imminente præservavit.

Inter medicamenta autem, sanguinis fluxum sistentia, acrimoniamque temperantia, ac vasa aperta consolidantia & compingentia, excellunt & eminent Rad. glycyrrhizæ, bistortæ, tormentillæ, symphyti, seu consolidæ maj. Fol. plantag. polygon. millefol. pyrol. sanicul. scabios. pulmonar. alchimill. adianth. hederæ terrest. chamædr. betonic. Fl. ros. rub. balaustior. hyperic. Bacc. myrt. fruct. cynosbat. cort. granat. sem. cydonior. myrtill. urtic. sanguis dracon. catechu, gummi tragacantum, gumm. Arab. amyllum sine calce paratum, thus, styrax mastiche, succinum, corallia, terra sigill. terra Lemn. bolus Armen. unicornu foss. C. C. & ebur ust. ichthyocola, lap. hæmatit. & juxta nonnullos crocus mart. adstr. terra vitrioli dulc. atque ex his & similibus



.591.

libus composita varia, tröchisc. de terra sigill. de carrabe, de spodio, species diaplantag. *Mynsicht*. diatragacanth. frigid. pulvis styptic. & sperniola *Croll*. sine-camphora pulv. stegnotic. *Gutt-mann*. ex quibus, pro varia causarum ratione, varioque agrotantium appetitu, pulveres, potiones, infusa, decocta, electuaria, tabulae, pilulae, vel linctus, possunt confici. Cui rei inferviunt aquae plantag. mille fol. portulac. acetos. cichor. centinod. contra sputum *Dorncreil*. succus portulac. plantag. urtic. salv. verbasc. decoct. hord. extract. bistort. tormentill. syrup. myrtin. cydonior. ros. sicc. granat. de succo portulac. de nymph. vel corall. conferv. ros. rub. antiqv. de symph. de beton. *Riverius obs. ii. cent. 18.* refert, hæmoptoicum quendam amylo, in aqua decocto, & per integrum mensem mane assumpto, sanatum fuisse. *Hartmannus* feliciter usus est potione ex aqua stillatitia rad. urtic. maj. ad  $\text{zIV}$ . cum ol. vitriol. ad gratum acorem. Prædictus autem *Riverius* cum successu adhibuit potionem ex aqua plantag.  $\text{zIV}$ . & spir. vitriol.  $\text{ss}$  cui nonnulli pulverem tenuissimum lap. hæmatit. ad  $\text{ʒj}$ . & landan. op. gr. j. vel ij. addunt. Ac opiata quidem & similia narcotica adhiberi tuto possunt, ac magno usui esse solent, ubi nimia sanguinis profusio, & vehementior agitatio, ac tussis, defectusque somni adest, quo casu præfatis remediis merito adjiciuntur, habita tamen dosis ratione. Cavendum vero est a calidioribus & theriacalibus, hæmoptoicis maxime infensis & noxiis. Tuto autem laudano opiato, pulvere anodyno, pilulis de styrace atque essentia anodyna utimur, cum tinct. fl. papav. rhæad. tinct. corall. cum succ. citr. parata, tinct. sulph. vitriol. vel mart. adstr. tinct. authphthific. *Gramman*. tinct. lap. hæmatit. tinct. catechu, essent traumat. *Hagendorn*. & vulnerar. *Michael Mercurialis* præmissa venæsectione, ac subductione blanda alvi, magnis effert laudibus medicamentum ex sem. papav. alb. cum conf. ros. antiqv. confectum & singulo mane sumtum, *Consil. med. 17.* Idem ille commendat etiam sem. hyoscyam. alb. in pulvere cum conf. ros. antiqv.



tiqv. & syrup. de portulac. Præcipit etiam conficere tabellas ex sem. hyoscyami, addendo gumm. Arab. corall. rub. succ. berberum & saccar. *Amatus Lusitanus* succo urticae ebibito deploratos hæmoptoicos curavit *cent. VI. curat. 4.* Inter cetera vero elegans est mixtura polychresta, *Sylvii* adversus omnes fluxus sanguinis ex aq. plantag. acet. destillat. sangv. dracon. laudan. op. corall. rub. & syrup. myrtin. *prax. L. I. cap. 9. §. 20.* cui succ. urtic. & polygon. lap. hæmatit. addi possunt. Sed plura ejusmodi remediorum genera ut recenseamus, a proposito alienum nobis videtur, quapropter eorum studiosos ad *Platerum, Riverium, Sennertum, Cratonem*, aliosque, qui incuranda hæmoptoe magnam operam & studium collocarunt, delegamus.

Atque horum quidem remediorum, quæ hæctenus exposuimus, ratio ita est comparata, ut promiscue adhibenda non sint, sed cum cautione usurpentur, ne intempestiva adstrictione atque coagulatione sanguinis noceamus, & agrotantem in majorem conjiciamus calamitatem. Cum enim vasa aperta magnam adhuc sanguinis copiam reddunt, hicque congestus in pulmonibus hæret, damnosa erunt omnia fortiora adstringentia, propterea quod sanguis extravasatus magis ac magis condensabitur, quo computrescente, sæpius pulmones adhuc incorrupti inquinantur, atque exulcerantur, vel a mole humorum opprimuntur. Quare consultius erit sanguinem effusum atque ad coagulationem pronum, vel jam concretum, convenientibus remediis dissolvere, ac demum redditus per tusim grumulis sanguineis, adstringentia adhibere, vel his blanda resolventia addere, aut interponere. Apud veteres magno in usu erat oxycratum, sive posca, ex aqua & aceto, hanc enim *Galenus L. V. methodi cap. 8.* jucundam, neque multo aceto saturatam præcipit. Quidam usurpant syrup de scabios. hyssop. capill. ven. heder. terrest. ex aq. foenic. hyssop. simpl. cum acet. destillat. vel mumia lap. cancr. antim. diaph. mandib. luc. pisc. dent. eq. mar. apr. priap. cet. cerv. ac sperm.



spem. cet. Alii alia laudant. Mihi optima videtur mixtura poly-  
 chresta *Sylvii* supra laudata, si eidem lap. cancr. vel antim.  
 diaph. aut alia blanda dissolventia addantur: sic enim uno re-  
 medio ex adstringentibus & temperantibus cum anodynis &  
 resolventibus, apte mixtis confecto, omnibus indicationibus  
 satisfacere possumus.

Adhæc, & quæ sunt generis ejusdem remedia alia, non-  
 nulli externa, sive topica, adjicienda esse præcipiunt, ut internis  
 auxilientur, citiusque malum extingvatur. De quibus tamen  
 notandum est, eorum virtutem & operationem vel parvam, vel  
 nullam esse, quin imo sæpius interitum mortemque accelerare.  
 Ita apud *Forestum L. XI. obs. 1.* relatum legimus, a vi adstringen-  
 tium externorum juvenem quendam præfocatum esse. Huic  
 Medicus quidem circumforaneus emplastrum ex gypso, bolo,  
 acacia, sanguineque draconis applicuerat toti pectori, unde pro-  
 pter inductam musculis immobilitatem, pectus expurgari non  
 potuit, & suffocatione æger periit. Sæpius autem illinere vi-  
 deas olea adstringentia, ut ol. cydonior. ras. myrtillor. nec non  
 emplastra & cataplasmata, sanguinem opprimentia, nimium-  
 que figentia. Sed cuncta hæc pestifera sunt, ut antea demon-  
 stravimus, & plerumque agrotantes interimunt, quatenus po-  
 ros & meatus corporis obstruunt, adeoque transpirationem  
 impediunt, musculos pectoris immobiles reddunt, ac sanguinis  
 motum cohibent, ejusque congelationem adjuvant. Minus  
 vero nocent, quæ ex plantag. polygon. bursa pastor. & similibus  
 parantur, plantisque pedum, vel genitalibus, aut pulsibus ad-  
 moventur, si præsertim nimius sanguinis fervor & ebullitio  
 adsit.

Super est, ut victus rationem paucis quoque tradamus,  
 quæ quidem pro causarum varietate varia esse ac præscribi solet,  
 facileque ea a prudenti Medico ordinari ad agrotantis valetu-  
 dinem poterit. In primis autem sic laborantes vitent vina, sa-  
 lia, aromatica, res dulces, clamores, motus animi ac corporis  
 immo-





immoderatos, ac potius temperantibus, vique vulneraria præditis, & bene nutrientibus cibus vescantur. Salubria itaque erunt juscula ex refrigerantibus & adstringentibus, uti sunt lactuca, portulaca, plantago, parata, itemque pulles ex lacte vacino & farina purissima, vel oryza, vel pane biscocto, & in pulverem tuso, nec non gelatinæ pedum vitulinorum, aliorumque animantium: Hæ enim gelatinam sanguinis augment, & vasa aperta blande conglutinant. Nec inconvenientes sunt carnes gallinarum, columbarum, pisces saxatiles, & cancri fluviales. Multum etiam prodesse compertum est gelatinam ex limacibus, & cum aqua, vel succo plantaginis sumtam, qua sola duos hæmoptoicos curavit *Puerarius*, ut commemorat in *Burnetti thes. med. pr. tom. 2. p. 12.* Conducunt quoque ptisana, lentes, milium, aliaque leniter conglutinantia. Potus sit tenuis cerevisia, aqua decoctionis hordei, vel cornu cervi, vinum rubrum sub adstringens. Aer sit temperatus, calidus vero & frigidus fugiatur. Alvus quotidie respondeat, sin minus id faciat, clysteres, vel lenientia sui eam officii admonebunt, ita quidem, ut vitentur acria & fortiter stimulantia, aut fermentantia, hæc enim nimium sanguinem exagitando, sæpius malum exasperare, ac interitum accelerare solent. Præterea quoque ab omnibus animi pathematis liber sit ægrotans, imprimisque iram, & commotiones vehementiores fugiat: Ab his enim facile malum sopitum denuo excitari potest, quo recrudescente, plerumque ægrotantes in ulcus pulmonum, atque in tabem incidunt, tandemque omnibus exhaustis viribus, vitam cum morte commutare coguntur. Salutaris vero est quies, securitas & silentium. Parum itaque loquantur ægri, sensimque respirent, non tussiant, nisi ubi pectoris expurgatione opus est, neque etiam vomant, operamque navent, ut quam optime læsorum pulmonum ac valetudinis rationem habeant, & nihil committant, quod vel resuscitare morbum, aut exasperare eundem, nihilque e contrario omittant, quod ad reparandam conservandamque sanitatem facere possit.



1535 66

ULB Halle

3


005 308 526



1535











521.

2. D. B. V.  
DISPUTATIO INAUGURALIS MEDICA,  
DE  
**HAEMOPTYSI,**  
QVAM  
AUTHORITATE ET CONSENSU  
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS, IN ILLUSTRIS  
AD ALBIM ACADEMIA,  
PRÆSIDE  
*RECTORE MAGNIFICO,*  
*VIRO NOBILISSIMO, AMPLISSIMO, EXCELLENTISSIMO,*  
*EXPERIENTISSIMO,*  
**DN. PAULO GOTTFRIEDO  
SPERLING,**  
MED. DOCT. ET PROF. PUBL. LONGE CELEBER-  
RIMO, FACULTATIS MED. h. t. DECANO MAXIME  
SPECTABILI,  
*DN. PATRONO AC PRÆCEPTORE SUO*  
*ÆTERNUM COLENDO,*  
**PRO LICENTIA**  
SUMMOS IN MEDICINA HONORES ET PRIVILEGIA  
DOCTORALIA RITE IMPETRANDI,  
PUBLICE EXAMINANDAM PROPONIT  
**JO. LUDOV. GREGOR. LEBRUN,**  
NORICO - VVEISSENBURG.  
*AD D. APRIL. A. c1o 1oc XCIIX.*  
**IN AUDITORIO MAJORI,**  
*HORIS ANTE ET POST MERIDIEM CONSVETIS.*

VITEMBERGAE, Typis CHRISTIANI KREUSIGII, Acad. Typ.

